

Q.R. 523, 18.

X 2313069

B. m. 7

IIa  
712

DECANVS  
ORDINIS PHILOSOPHORVM  
IN  
ILLVSTRI ACADEMIA VVITTEBERGENSI  
**IO.GOTTLOBIVS  
VOLLSACCIUS**

CALOVIA - LVSATVS

PHILOSOPHIAE ATQVE LIBERALIVM ARTIVM  
MAGISTER DICTI ORDINIS ASSESSOR ET H. T. CONSTI  
TVTUS IMPERIALI AVCTORITATE  
COMES PALATINV

PHILOSOPHIAE ET LAUREAE POETICAE  
CANDIDATOS

AD  
**SVMMOS IN PHILOSOPHIA  
ET STUDIO POESIOS HONORES**

DIE XVII OCTOBRIS HVIVS ANNI  
MORE MAIORVM RITE CAPESENDOS  
HUMANISSIME INVITAT  
ATQVE DE

**TRIBVS APVD SINENSES LITERATORVM GRADIBVS**  
NONVLLA EDISSESTIT



DOMINI CONTRA  
MAGISTERIUM THEOLOGORUM  
IN THEOLOGIA AND THEOLOGIA  
**SCOTTI** LOBIRIA  
VOCLSAQCIAS

MAGISTERIUM REAL THEOLOGORUM  
CONTRA MAGISTERIUM THEOLOGORUM

APPENDICIT OCCUPATIONIES DOMINI NOSTRE  
THEOLOGORUM CONTRA MAGISTERIUM THEOLOGORUM  
THEOLOGORUM CONTRA MAGISTERIUM THEOLOGORUM  
THEOLOGORUM CONTRA MAGISTERIUM THEOLOGORUM  
THEOLOGORUM CONTRA MAGISTERIUM THEOLOGORUM  
THEOLOGORUM CONTRA MAGISTERIUM THEOLOGORUM



Irtuti & labori honesto dignum ali-  
quod praemium ut tribuatur, ipsa suadet  
aequitas, cum alias, fatente Godofredo Rudolpho Knichenio, (a)  
nemo gratis virtuosus foret, ac in  
commodum alterius labores & seruitia,  
uti & pericula, susciperet. Imo,  
dicente Sulione Silo, (b) si in nullius

mercedem negotia tuerentur Principes, pauciora forent,  
scilicet exempla bene merentium. Hinc Cicero non im-  
merito hac de re ita scribit: Honos alit artes, omnesque  
accenduntur ad studia gloria. (c) Cum quo etiam consen-  
tire videtur Salustius, Gloria, inquiens, industria alitur,  
ubi eam demiseris, ipsa per se virtus amara atque aspera est.  
(d) Praemiorum enim exhortatione boni efficiuntur, (e)  
ita, ut, iudicio cuiusdam scriptoris Gallici, honor sit cibus  
dulcissimus, quo nutriatur virtus. Inde laudatissimo consi-  
lio inter literatos introductum fuit, illis, qui egregios in  
studiis fecerunt progressus, sua, si petant, attribuere piae-  
mia, eosdemque certis honorum gradibus exornare. (f)  
Ex quo satis superque apparet, quam perperam faciant isti,  
& a veritatis tramite longe recedant, qui honores gradus-  
que Academicos, tanquam virtutum & laborum piae-  
mia, contemnunt, & pro nihilo ducunt, imo eludunt, ac sinistro  
quodam iudicio prosequuntur, ita ut de illis non male  
iudicet Limnaeus, (g) dicens: Eos eorum non nosse

) ( 2

quali-

(a) In Oper. Politic. Lib. 2. Part. 2.  
Sect. 1. Cap. 5. th. 10. fol. 898.

(b) apud Tacitum II. Annal. 6.

(c) Tuscul. Quaestio[n] Lib. 1. c. 2. p.  
165.

(d) Orat. 2. de Republ. ord. circ. med.

(e) I. 1. §. 1. ff. de I. & I. 1. 4. c. de stat.  
& imagin. I. 1. §. 10. ff. de extraord.

Cognit. Georg. Acac. Enenckel. de  
Priuil. Iuris consultor. Lib. 1. cap.  
10. num. 7. Camerarius Med. Cent.  
2. c. 56. & Cent. 1. c. 4.

(f) vid. Ioh. Limnaeus Tom. III. Ju-  
rispubl. Imperii Romano-Germa-  
nici cap. 8. §. 1.

(g) loc. add. §. 26.

qualitatem, & ignorantia potius, quam iudicio, claros esse.  
Cum primis vero eiusmodi honorum contemtores inter eos  
reperi, qui Fanatici usitato nomine appellantur, non pau-  
ci elegantioris doctrinae Viri obseruarunt, quippe qui non  
nisi ex inuidia illorum, qui honores hosce recte petunt,  
& cum laude assequuntur, perque eos ad ulteriorem post-  
ea adspirant felicitatem, eosdem spernunt, ac derident,  
simulantes, se non tales esse arrogantes viros, qui cum  
mundo, ut loqui solent, peterent mundanas & terrenas  
dignitates, sed potius, spernentes temporales, aeternas  
& coelestes solum ambirent, licet interdum nouos sibi ra-  
piant honores, planeque aliena, & ab eorum munere lon-  
ge remota, arrogant praedicata. Sed hi, si didicissent,  
cum celeberrimo Wolffio distinguere inter gloriam &  
ambitionem, cognoscerentque, gloriam et virtutum piae-  
mnia deportare, rem omnino licitam, ambitionem autem,  
qua quis plures appetit honores, quam ipsi debentur, &  
ex merito ab aliis ultro deferuntur, illicitam maxime  
rem esse, (b) tunc longe aliter de gradibus nostris A-  
cademicis sentirent, eosdemque maiori in pretio habe-  
rent, exemplo illorum Magnatum, Imperatorum scilicet,  
Pontificum, Regum, Electorum ac Ducum, qui honores  
petere Magisteriales non erubuerint, quorumque ma-  
gnum numerum Mildendorp (i), & alii, in medium addu-  
xerunt. Sicuti de Pontificibus Romanis constat, nullum  
eorum dignitatem Papalem assecutum fuisse, neque eandem  
assumere potuisse, nisi antea in Doctorem renunciatus fue-  
rit. (k) De Wilhelmo III, Iacobo, & Carolo III, Anglo-  
rum Regibus, relatum legimus, quod ille anno 1671. in  
Academia Cantabrigicensi J. V. Licentiatus, iste vero & hic  
Oxfur-

(b) vid. eius orat. de Sinarum Phi-  
losophia Practica p. 92. 93. in notis.  
(i) L. I. de Acad. c. 13. & Bezman.  
Medit. Politic. Nomognost. Iuris

Vniuersit. verb. graduatio pag. 599.  
(k) Conf. Fr. de Petris I. C. Neopo-  
lit. L. I. festiu. Lect. c. 7. n. 12.

Oxfurti Magistri vel Philosophiae Doctores creati fuerint.  
(*l*) Princ. Elector Pfalziae, Carolus, tres solemnes habebat  
dies, primo Oxfurti doctorales accipiebat honores, secun-  
do in Electorem renunciabatur, & tertio siebat Eques or-  
dinis Periscelidis. (*m*) Dux Alberti totus Promotio-  
nis actus, cum omnibus eius solemnibus, describitur in Dia-  
rio Europaeo, & refertur, eum Sorbonnae Doctorem fa-  
ctum fuisse. (*n*) Et per totam Angliam, tempore Iacobi  
XVI, ne unus quidem nobilium reperiebatur, qui ex Aca-  
demii domum rediens, gradum Magistri non secum por-  
tasset. Quae omnia si recte perpenderent isti, non sane  
spernerent gradus Academicos, sed, illorum Magnatum  
exemplo, maximi potius eosdem facerent, susciperentque.  
Obiiciunt equidem, hunc vel illum Magistrum & Docto-  
rem non omnes tenere eruditionis partes, quas, ut Magister  
aut Doctor, tenere omnino deberet, si alios deinde do-  
cere, ipsisque suum doctrinae thesaurum aperire cupe-  
ret. Sed respondemus, a particulari ad uniuersale nul-  
lam fore consecutionem, & praeterea honores eius-  
modi Academicos non esse solum praemia, sed etiam si-  
mul calcaria diligentiae, quibus excitentur ingenia libera-  
lia, & inflammentur quasi, ut studiis eo magis incum-  
bant, seque indies doctiores reddant, ac ad solidam tan-  
dem perueniant eruditionem. Quod olim bene obser-  
uarunt Sinenses, uti, inter alios complures autores, cele-  
berrimus Wolffius testatur, Sinenses, inquit, ut tanto ala-  
crius ad metam contenderent, eodem stimulo utebantur,  
quo eruditii ad praeclara, in quois eruditionis genere

X 3

prae-

(*l*) Conf. Rastii *Zuschrifft über das April-Geſpräch*, Feltmann L. II. de tit. ho-  
nor. c. 12. edit. prim. c. 14. §. 3. Autor  
der Nouellen aus der gelehrten und eu-  
riöfen Welt. 1695. Mens. Dec. p. 995.

(*m*) vid. Imhoff. L. II. Notit. §. R. I.  
Procer. c. 9. §. 3. edit. 1. & 2.

(*n*) vid. Contin. 17. seu part. 18. ad  
ann. 1667. M. Sept. 486.

praestanda, incitantur, nimirum benefactorum gloria, quae, ardua licet, aggredientibus vires dabat. (o) Hinc tres apud eosdem reperiebantur honorum gradus, ad quos adipiscendos, seque iisdem dignos reddendos, omnem adhibuerunt operam industriamque. Operae proinde pretium facturi sumus, si de hisce Sinensium honoribus academicae in praesentiarum breuiter strictiusque aliquid edisserimus. Nimis vero prolixum, & ab instituti nostri ratione plane alienum foret, si in eorum Academias, scholasque publicas, prolixe inquirere vellemus. Sunt enim, qui plane nulla apud Sinenses esse statuunt Lycea, Gymnasia, aut Academias, sed unamquamque familiam, aut unumquemque patremfamilias, peculiarem suum habere Ludimistrum, qui filios ipsius in omnibus disciplinis educaret, scientiisque instrueret, uti loquitur Adamus Contzen. (p) Ast, licet nullas, pergit, habeant Academias, honores tamen eruditis, Academiarum more, conferunt, quam opiniem ex Nicolao Trigautio (q) desumisse, confitetur, qui de Sinensium scholis sequentem in modum scribit: Nullus porro ludus est, aut Academia publica, cuius Magistri hos sibi libros suscepserint exponendos, sed quisque praceptorum sibi pro arbitratu suo deligit, e quo domi suae, suoque sumptu, instruatur, Conf. Iosephus Acosta (r), qui etiam testatur, Academias in China nullas esse compertas, studia ipsorum esse linguam Mandarino-  
rum,

(o) Qui enim gloria ducuntur, pergit Cl. Vir, paria cum aliis, laudem merito suo consecutis, praefare conantur, immo superiores iisdem evadere student, aemulatio enim, quae virtutis imitatione absolvitur, in laude ponitur, non in vituperio. Ideo enim praeclara exempla proponuntur, ut virtutem, quam in alias admiratur,

ipsimet consestari studeamus.  
loc. all. p. 92.

(p) in Operc suo Politic. C. 6. §. 5. p. 257.

(q) Lib. I. Expedit. Sinicae Cap. V.

(r) Lib. XI. Cap. 6. de promulgat.

Euangel. ap. Barbar. sue de Procur.

Indor. salute, edit. Colon. 1596.

conf. Spizelius in Comment. de re

literar. Sinens. p. 30.

rum, Historias, Leges ciuiles, Prouerbia, Physica quædam eos habere & Mathematica, sed *quaestodina*, Comediis, & historiis deditissimos esse, omnem eorum eruditionem reuera in legendō & scribendo confistere, Theologiam vero habere nullam. Verum triuiales, & ab Academiis distinetas, scholas Sinenses omnino habuisse, ex innumeris aliorum autorum testimoniis satis demonstrari potest. Mendoza (s) scholas XXXII in Dioecesi Peking, triuiales, uti nos eas appellamus, numerat, & Pinto, Lusitanus, qui circa annum Christi 1540. vixit, CCCCC scholas Peking fuisse, in quibus istos, qui aliis viuendi subsidiis destituti fuerunt, eruditos fuisse, recenset. Praeter ceteros autem hic euoluatur Celeberrimus Wolffius, (t) prolixo docens, duplēcēm esse Sinarum scholam ad formandos mores, quarum unam puerulorum, alteram vero adultorum vocat. (u) De Sinenſium vero scientiis atque doctrinis multum hic afferre, propositi nostri ratio prohibet, quare paucis faltem monemus, quod duo praecipua suae Philosophiae capita constituant, primo Physicam, cui Matheſin adiungunt, & deinde doctrinam de moribus rite componendis, de quibus omnibus prolix legi possunt Confucius, Sinarum celeberrimus Philosopher, (w) Martinus Martini, (x) Sebastianus Schroeterus, (y) Francisci, (z) Theophilus Spizelius, (aa) Leibnitius,

(bb)

- (s) Lib. 3. part. 1. c. 13. Conf. P. Didacus de Pontoya, *im Send-Schreiben an den P. Ludouicum Gutzmann*, (t) in Orat. sua de Sinarum Philosophia Practica p. 66. (u) Conf. Io. Hugo Linschotanus Itinerar. Cap. 23. Martin. Praef. Atlant. Sin. Possevinius Biblioth. Sil. Lib. 9. p. 398. Lucas de Linda descript. orb. & omnium rerum p. 1093. Franci-

sci in *Geschicht-Kunst- und Sitten-Spiegel*. p. 453. seqq.

(v) in Scientia Sinenſi Iatine exposita Parisiis edit. 1687. in fol.

(x) in Hist. Sin. Lib. IV. p. 130.

(y) Histor. Geograph. Tom. II. p. 140.

(z) in *Geschicht-Kunst- und Sitten-Spiegel* p. 496.

(aa) De re literaria Sinenſium Comment. Lugd. Batav. 1660. in 12.

(bb) Wolffius, (cc) Georg. Bernh. Bülfingerus, (dd) Kircherus, (ee) Neuhoff, (ff) & reliqui. Pro his igitur scientiae, seu Philosophiae, studiis ex merito ornandis, iuuenibusque ad eadem amplectenda permouendis, tres, ut iam diximus, dignitatum gradus constituant Sinenses, iisque conferunt, qui prae ceteris apti, istisque adeo honoribus digni fuerint iudicati. Illi vero non solum cum *Baccalaureis*, *Licentiatis* & *Doctoribus* nostris conueniunt, ut Iarricus, (gg) perhibet, sed iisdem quoque appellationibus a Trigautio (bb) distinguuntur. Primus obtinetur in singulis urbibus, eo scilicet in loco, qui ludus appellatur, & Sinensium idiomate *Sieuebi* dicitur, nostrumque quasi *Baccalaureatum* repraesentat. Eum confert insignis aliquis literatus, a rege ipso eum in finem constitutus, & ex officio sua lingua *Tibio*, nostro autem more *Cancellarius*, nominatus. Hic omnia prouinciae suae loca & oppida peruidit, primum hunc dignitatis gradum, peracto prius triplici examine, dignioribus collaturus. Quamprimum itaque urbem aliquam ingreditur Cancellarius ille, subito concurrunt, quotquot ex eadem, eiusque finibus, ad dignitatem hanc adspirant, seque triplici huic examini submittunt. Primum, quod Candidati subeunt, a Praeceptoribus suis seu Ludimagistris, qui hunc in finem regio aluntur stipendio, instituitur, ac quilibet ad examen hoc admittitur, quo fit, ut saepe quatuor quinqueve millia eiusmodi Candidatorum ex una urbe numerentur. Qui omnes, probe nunc examinati, deinde a Ludimagistris remittuntur ad quatuor urbis praefectos,  
Viros

(bb) in Nouissima Sina.

(cc) in Oratione de Sinarum Philos. Practica Franc. ad Moen. 1726.

(dd) in Specimine doctrinae Veterum Sinarum Moralis & Politicae Franc. ad Moen. 1724. in 8.

(ee) in Sina illustrata.

(ff) In der Gesellschaft der Ost-Indischen Gesellschaft, Amst. 1669. in fol.

(gg) Tom. II. Thef. Ker. Indic. p. 636. Ieque.

(hh) Lib. I. Expedit. Sinicae c. 5.

Viros itidem maxime literatos, non enim, nisi eruditii ac literati Rempublicam attingunt, ab his alterum sustinent examen, in quo paulo penitus explorantur & excluduntur doctrina moresque Candidatorum. quo facto, iidem, denuo sic examinati, Cancellario praesentantur, sed ex uniuerso numero non amplius ducenti, quos dignissimos iudicauerint quatuor illi urbis praefecti. Hic tertium cum iisdem examen instituit, idque satis rigorosum, & omnino reliquis austrius, quod praecipue in thematis alicuius de Regno & Republ. elaboratione consistit, e qua de singulorum candidatorum profectibus, ac de ipsa admissione, sententia fertur, haec tamen arctis adeo includitur limitibus, ut vix decimus voti composreddatur. nam e ducentis viginti tringintaue, non plures, pro regionis magnitudine, quos eodem examine dignissimos inuenerit Cancellarius, *Baccalaureos* solenniter renunciat, ceterisque, eodem gradu superioribus annis ornatis, accenset. Hi omnes nomine & habitu peculiari, nonnullisque priuilegiis, a plebe distinguuntur. (ii) Post annum vero, denuo exploratis eorum progressibus, ad ipsam Reipublicae administrationem euehuntur, & ad munia publica admittuntur. (kk) Secundus Sinensium Literatorum gradus, qui ipsis *Kiugin* appellatur, & cum ) ) nostro

(ii) Testante enim Sebastiano Schroetero, hi omnes non infimam urbis partem dignitate repraesentant. nam ab omnibus coluntur, spe fortuuae, ad quam accedunt, dignitatis. Talarem, pileum & ocreas, dignitatis insigne peculiare, induunt, eoque cultu alium, nisi Baccalaureum, prodire est nefas. In Magistratum congressibus honoriatus assident, & grauiores urbanitatis ritus iis exhibent, quibus vulgo uti non licet. Multis quo-

que immunitatibus gaudent, & praeter Cancellarium, suosque illos quatuor Ludimagistros, nemini fere subsunt, nec facile ceteri magistratus de illorum causis delitescunt. loc. supra citato p. 146. seq.

(kk) Cancellarii enim munus, pergit modo laudatus Schroeterus, & ex eo Adamus Contzenius, non solum in nouos se Baccalaureos extendit, sed antiquiores etiam superio-

nostrorum *Licentiatorum* gradu quodammodo conuenit, non nisi tertio quoquis anno in qualibet prouinciarum Sinicarum metropoli confertur. Is, uti altior sublimiorque priori est, ita maiori quoque cum solicitudine & circumspectione merentibus attribuitur. Non autem omnes, qui eo digni censemur, hoc maestantur honore, sed tantum, qui inter eos dignissimi sunt, soli tamen Baccalaurei, &, qui iam prima virtutis specimina ediderunt, gradumque honoris primum hactenus cum laude ornarunt, & quidem e singulis prouinciae urbibus minimum triginta, aut ad summum quadraginta, ex omni numero feliguntur, qua ratione tamen in prouinciis celebrioribus saepe numerus eorum ad quatuor millia excrescit. Anno igitur quoquis tertio, paucis ante octauam Lunam, quae in nostrum Septembrem incidit, diebus, Magistratus Pequinensis selectissimos ex uniuerso regno Philosophos Regi offert, dato libello, ut ex iis triginta, in singulas nempe prouincias binos, denominet, qui examini Licentiatorum initiandorum praesint, quos vero Rex non nominat prius, quam sub idem temporis punctum, quo citissimo itinere in designatam prouinciam poterunt peruenire, adhibitis quoque permultis excubitoribus, ne quem ex ea prouincia ulla ex causa alloquantur ante, quam Licentiati sint renunciati. Hi metropolin ingressi, ut omnem studii partium suspicionem a se remoueant, in palatio, pro hoc

---

periorum annorum, illo gradu insignitos, incidi reddit, & quid vel profecerint, vel defecerint, seuera trutina explorat. Ergo, pro scriptoris bonitate, quinque ordines instituit. Iis, qui primo censemur praemio, potestatem facit munia quedam publica, sed non maxima, sine superiore gradu gerendi, in secunda classe recensitos praemio quoque, sed inferiore, donat. Tertios

nec praemio, sed nec poena, diagnos censemur. Quarti publice vapulant, societate poenam iacentes. Postremi tandem Baccalaureatus insignibus exuuntur, & in vulgi ordinem reieciuntur. Id faciunt, ne postquam in Baccalaureos recensiti fuerint, in otio delitescant, & quae didicerint, oblinioni tradant.

hoc examine aedificato , angusta quaedam conclauiia occupant , quibus sese , quamdui examen durat , continere debent , fere , uti Romanae Ecclesiae purpurati patres , cum maximi pontificis eligendi gratia congregantur , omne cum aliis commercium ex veteri lege studiose euitare solent .  
(II) Tum indicto die , primo mane , sistuntur ipsis Candidati , nulla alia suppellecstile , praeter eam , quae ad scribendum necessaria est , instructi , clausis prius & custoditis a militari manu palatii foribus . (mm) His regis ministri ex Confucii Libris quaestiones arduas suppeditant , quas uberioribus commentariis Candidatos illustrare oportet . praeterea hi quatuor alia problemata addunt , & similiter de iis aliqua meditantur . Totus autem iste labor uno die est absoluendus . Triduo post aliud tentamen sequitur , cui materiam

) ) ( 2

prae-

(II) In qualibet quippe metropoli , palatium ingens , pro hoc examine duntaxat extrectum , cernitur , altissimis muris cinctum . In eo domiciliorum stationes permultae , & ab omni tumultu semotae , in quibus examinatores , quos diximus , dum scriptiones discutiunt , commorantur . Praeter has , in medio pallatio sunt cellulae supra quater mille , quae , praeter exiguum mensam , & scabellum , & unum hominem , capere nihil possunt , ex his cellulis nemo cum vicino colloqui , sed nec videre quemquam potest . Vbi examinatores , & Urbani , & Regii , quos dixi , in metropolim aduenierunt , prius in eo palatio , in sua quisque statione , includuntur , quam cum ullo colloqui possint , imo a muris inter se colloquias excluduntur toto eo tempore , quo inscriptionionum discussione laboratur . Quin etiam id temporis nocturnae

diurnaeque multorum militum , & magistratum excubiae , explorant , & arcent omne literarum ac sermonum commercium eorum , qui intra palatii fines degunt , cum iis , qui extra eos commorantur . In hoc porro examenes & iidem ubique dies toto regno deputantur , nonus nempe 12. ac 15. octuae lunae dies . Et ab illucescente aurora in primam noctem tempus scriptioni conceditur , ianuis studiose occlusis . Scribentibus porro leuis refectione pridie comparata sumptu publico praebetur . vid . autores citati ll . dd .

(mm) Hinc scribunt ulterius : Cum in Palatii fines Baccalaurei admittuntur , seuerissime explorantur , secum aliquem librum aut scriptiōnē deferant , nec ne ? Et solum sinuntur peniculos aliquot , quibus ad scribendum utuntur , & scriptoriam laminam ,  
atra

praebent tria historiae veteris Sinicae monumenta , latius enarranda , addito iudicio politico , historiae & patriae statui accommodato . Tertia abhinc luce iterum tres quaestiones forenses proponuntur , circa quas , quid iustum sit , edifferendum est . (nn) His factis , scripta Candidatorum colliguntur , denuo describuntur , & inspectoribus examinum offeruntur . Quamuis enim confectae ab se orationi quilibet nomen suum adscribat , iudices tamen & Mandarini ea non inspiciunt , adhibent siquidem celeres librarios , qui , quod singuli scripferunt , omisso nomine , describant , ac deinde ipsa autographa claudant , obsignent , & diligenter custodiant . Apographa dantur iudicibus , hominibus omnium eruditissimis , qui ignari , cuiusnam sit quodlibet opus , neque ullo reliquo gratiae loco , sincere ea scripta diligunt , & seponunt , quae ornatoria censuerint . Vbi re-

nun-

---

atramentum , chartamque deferre . Eorum porro vestes , penicilli , laminae scriptoriae , ne quid per fraudem contineant , explorantur . Si fraus aliqua deprehensa fuerit , non excluduntur solum , sed etiam acerrime puniuntur , l. c. p. 150. conf. Neuhof. p. 233.

(nn) Posteaquam , inquit Autores supra commemorati , in palatum admissi Baccalaurei , & fores clausae , & publicis sigillis obfirmatae , duo illi a Regia Examinis praefides tres e Tetrabilio illo sententias in publicum exponunt , suo arbitratu selectas , quas singuli totidem scriptiorum sibi thema proponunt , & qualibet item quinque illarum doctrinarum quaternas sententias , aliarumque totidem scriptiorum themata proponunt . Easque sibi quisque deligit , quae ex ea , quam profitetur , doctrina eruantur . Septem has scriptiones oportet esse non verborum solum

luminibus , sed sententiarum quoque pondere graues , obseruatis accurate Sinenis facundiae praeceptionibus , nec ullam scriptiōnem oportet quingentos numero characteres superare , quorum singuli singulas dictiones nostras exaequant . Die altero , qui biduum ad examinandorum quietem consequitur , eundem in modum reclusis , tria proponuntur , quae olim ex Veterum annalibus eruta contigere , vel alia quaedam , quae in posterum poterunt evenire , ternis singuli scriptioribus sententiam suam dicunt , aut regem dato libello monent , quid eo in causa faciendum e regni bono videatur . Tertio similiter die ter iis lites , ex iis proponuntur , quae in gerendis Reipublicae muneribus discernendae exigi possunt , ternis itidem scriptioribus singuli sententiam suam explicant , quam in ea lite diudicanda ferrent .

nunciandi sunt, qui puncta tulerint, autographa cum autographis comparant, atque ita, quatenam ii sint, cognoscunt & promulgant, dignosque adeo ad secundum honoris gradum, pro ea, qua pollut, potestate, euehant (oo) Promotorum vero nomina in tabula publica indicantur, ut omnibus innotescant, et peracti examinantis historia typis committitur, & per uniuersum imperium latius diuulgatur. (pp) Tertius tandem Literatorum gradus apud Sinenses

) ( ) 3

Cinsu

(oo) Namque acceptis in hunc modum suo singulis die scriptiorum argumentis, & ad memoriam transcriptis, Baccalaurei in designata sibi ab iis, quorum interest, cellulam ad scribendum ingrediuntur, & magno ubique silentio, a singulis scribitur. Scriptiones singulorum in libello, in eum finem parato, a singulis transcribuntur, adscripto suo, parentis, aui, & abauai ad finem scriptiorum nominibus, & libellum ita obfirmant, ut non, nisi a deputatis, possit aperiri. Id singuli cum singulis libellis ficerunt, eos deputatis offerunt: Illi prius, quam in examinatorum manus veniant, librariorum, qui iam parati adsunt, manu transcribuntur, ac, ne fraus esse possit, rubeo colore exempla pinguntur. Ipsa porro autographa, atramento descripta erant. Transcripta haec non autographa, sine auctorum nominibus, examinatoribus discutienda traduntur, ipsa vero autographa, numeris signata, quae transsumptis respondent, interim assertantur. Id sit, ne, qui discutunt scriptiones, auctorum nomina, vel ipsam pingendi rationem, inter noscant. Piores illi ex urbanis magistratibus electi examinatores, scriptiones omnes excutiunt, & pessimam quamque ita reiici-

unt, ut regiis examinatoribus duplum offerant eius numeri, ad quem excrescere Licentiatorum numerus potest. Ita, si centum & quinquaginta renunciari oportet, scriptiones trecentae seponuntur, & ad regionum examinatorum stationem postremo scrutinio excutientes transmittuntur, e quibus optimas quasque, quantum pro numero Licentiarorum satis, segregant. Ex eo inde numero primas, secundas, & tertias diligunt, & in ordinem accurate componunt. His peractis omnes simul examinatores, transumpta cum autographis, appositis numeris, agnita conferunt, & auctoris in autographo nomen legunt: haec nomina cubitalibus literis descripta, in ingenti tabula exponunt, octaua fere luna exeunte, magno Magistratum concursu, applausuque eorum, qui Licentiatos renunciant, vel sanguine, vel necessitudine, contingunt, ut notant Schröterus, ac reliqui II. cc. Add. Conringius Antiqu. Acad. Diff. IV. p. 130. aliisque.

(pp) Adeoque hic gradus priore longe superior ac celebrior est, aliisque nobilioribus gaudet immunitibus, & peculiari dignitatis ornatu. Imo, si ad supremum gradum adspirandi deponunt cupiditatem,

non



*Cinsu* nominatur, planeque nostrum *Doctoratum* represe-  
nat, hic etiam singulis trienniis confertur, sed solum in  
urbe regia Pequinensi, & Doctorum initandorum annus  
semper est is, qui Licentiatorum proxime insequitur. Con-  
sequuntur vero summos hosce honores ex omnibus, qui  
licentiam, hunc honoris gradum ambiendi, nacti sunt, in-  
uitatis, & denuo a primariis status regni administris explora-  
tis, non nisi trecenti, p[ro]ae reliquis omnibus excellentiores,  
licet e singulis prouinciis Licentiati, quoties aleam examinis  
subire voluerint, ipso iure admittantur. (99) Celebratur hic  
actus solemnissimus secunda Luna iisdem, quos supra dixi-  
mus, diebus, forma quoque eadem, nullo plane discrimine,  
nisi quod, pro ratione gradus, & dignitas crescat. (rr) Pri-  
uilegiis quoque nouis, iisdemque amplissimis, ab ipso rege  
donan-

non infimorum in Republ. mune-  
rum, capaces existunt. Hoc actu  
ad exitum in hunc modum per-  
dueto, Regii examinis praefides  
librum euulgant, quo totius exami-  
nis successus, Licentiatorum nomina,  
& insigniores de qualibet proposita materia scriptiones  
hac ratione in regnum uniuersum  
immittuntur, sed maxime illius  
scriptiones typis illis excuduntur,  
qui primum inter Licentiatos no-  
men est fortitus. Is Sinice *Qaia-  
yuen* appellatur. Hic porro li-  
ber eleganti inprimis charætere  
excuditur, totoque regno spargi-  
tur, eiusque aliquot exemplaria  
Regi offeruntur, & reliquis Palatini.  
Conf. Contzenius loc. sup. cit.  
(99) Etiam in exploranda diligentia,  
ne qua forte fraus fauorque sub-  
repat, ipsi quoque examinato-  
res e grauissimis regni Magi-  
stratibus, quos *Colaos* vocant,  
examinis praefides nominan-  
tur. Finito examine, renuncia-  
tisque Doctoribus, eo ipso in

palatio, in quo etiam Licentiatos  
renunciari mos est, simul omnes  
in palatio regio, coram præcipuis  
totius aulae magistratibus, quin  
etiam ipse Rex olim aderat, propo-  
sito themate, scriptiōnem compo-  
nunt, cuius iudicio magistratum,  
quos ipsi gesturi sunt, ordo  
renunciatur, in tres classes distribu-  
tus. Huius examinis magna est  
celebritas, quae tota in brevi scri-  
piuncula consistit. Qui primum  
in Doctorum examine locum ob-  
tinuit, illius tertius locus in hoc  
secundo examine extra aleam ver-  
satur. Qui vero in hoc examine  
primas ac secundas obtinet, insigni  
per totam vitam dignitate insi-  
gnitur, præterquam quod maxi-  
ma quaque in Republica munera  
gerit. Consul. idem ibid.

(rr) Siquidem ea dignitas aptissime  
cum Ducus apud nos Marchionis-  
ue titulo conferretur, si ea in po-  
steros haereditario iure transfe-  
retur, uti obseruat Seb. Schroeter-  
rus l. c. p. 155.

donantur, & muneribus in Sinica Republ. maximis gerendis destinantur, propria itidem veste, pileo, & ocreis, ac reliquis etiam magistratum insignibus gaudent, & ad publicos Magistratus opimiores ac nobiliores euehuntur, eo semper ordine, ut nunquam Doctores a Licentiatis superentur. (ss) Horum Doctorum renunciatorum successus suo priuatim volumine excuditur, adscriptis, ut supra, nominibus. Praeter hunc librum aliis etiam quotannis editur, quo Doctorum omnium nomina, patria, parentes, officia, quoque in loco ea gerant, describuntur. Adeoque, qui annum hoc volumen inspexerit, statim exinde intelliget, quam quisque dignitatem a primo Doctoratus anno ad obitum usque, & ubi, gesserit, quibusque gradibus honorum ascenderit, vel descenderit, & sic porro. (tt) Non immerito horum apud Sinenses usitatorum rituum ceremoniarumque, quas circa distribuenda virtutum industriaeque praemia obseruare solent, in praesentiarum recordor, cum solemnem honorum nostrorum Philosophorum distributionem moliar. Vti enim aliis nonnullis momen-

(ss) Hi autem Licentiati, qui a Doctorum numero reiekti sunt, si spem Doctoratus in posterum consequendi deposuerint, ad gerendam Rempublicam admittuntur, & licet infra Doctores, non tamen infimos, vel in regia, vel foris, magistratus gerunt. Si fortunam denuo tentare placuerit, dum repetunt, sedulo se scribendo legendoque exercent, toto inseguente triennio, dum, redeunte annorum circulo, in examinis arenam iterato descendant. Id, quoties libuerit, tentare licet. Et euenit non raro, ut alciam decies subeant, repugnante semper fortuna, qua ipse laetati, vitam absque munere publico uniuersam terunt, dum aut summi, aut nihil esse volunt, ibid.


(tt) Et est in hac graduum consecutione illud admiratione dignum, quam eiusdem anni collegae inter se necessitudinem contrahant. nam non Licentiati minus, quam Doctores, quibus fortuna ut fueret, in eundem annum conspirauit, feso loco fratrum per uniuersam vitam habent, sequre mutuo & propinquos suorum Collegarum in omnibus rebus adiuuant, unanimi semper animorum consensu. cum ipsis quoque examinatoribus etiam arctius vinculum necunt, quale solet inter parentes ac filios, vel discipulos ac magistros, debita semper veneratione, tametsi saepe contingat, ipsos discipulos alius magistro per singulos honorum gradus ascendere l.c.

QK IIa 712

momentis ritus nostri Sinensibus conueniunt, ita in primis  
istum communem habemus, quod illorum honorum  
distributione itidem promoueri literarum studia videamur,  
ut eorum spe studiosi ad nauandam operam excitentur.  
Hinc neque hac in parte quicquam in nobis passi sumus  
desiderari, sed quo quis semestri inuitamus Candidatos pu-  
blice, ad haec virtutum praemia recte riteque capessenda,  
aperimus ipsis examina, tum priuata, tum publica, ut  
ingenii doctrinæque certamen inire, deque victoriae  
& palmae gloria certare possint, iisque tandem rite de-  
functis, laurum modeste efflagitatam lubenter imperti-  
mur. Atque ad hos nunc honores in Philosophia sum-  
mos, quos Magisteriales dicere solemus, adipiscen-  
dos, VOS, CANDIDATI, elegantiorum lite-  
rarum Poesiosque cultores, quam humanissime invito,  
cui ab amplissimo Philosophorum Ordine, per hoc seme-  
stre aestiuum, partes Decurionis demandatae sunt, quique,  
pro concessa mihi imperiali regiaque auctoritate, Comitis-  
que Palatini potestate, eiusmodi Philosophiae & Poetices  
laureas conferendi, prouincia fungor. Vos itaque, VI-  
RI IVVENESQUE OPTIMI, qui in variis Euro-  
pae Academiis celeberrimos diuinæ humanaeque sci-  
entiae Doctores studiose audiuitis, quibusque adeo praemia  
illa præ ceteris debentur, compello, adeste frequentes,  
ac tempestiue Vestra apud me nomina profitemini, in-  
que solennibus nostris, die XVII. Octobris instituendis,  
a me summam studiorum mercedem, Lauream scilicet,  
tum Philosophicam, tum Poeticam, expectate. Numen  
vero altissimum coepta nostra in sui ipsius gloriam, Rei-  
publicae Literariae decus, nostrumque omnium emolu-  
mentum commodumque iubeat euenire. P. P. ipso  
anniuersario Visitationi Mariae sacro,

A· R· S· CIO 10 CC XXVI

WITTEBERGAE, LITERIS GAEBERTIANIS



Q.R. 523, 18. - X 2313069

B. m. T

IIa  
712

DECANVS  
ORDINIS PHILOSOPHORVM  
IN  
ILLVSTRI ACADEMIA VVITTEBERGENSI  
**IO. GOTTLLOBIUS  
VOLLSACCIUS**  
CALOVIA - LVSATVS  
PHILOSOPHIAE ATQVE LIBERALIVM ARTIVM  
MAGISTER DICTI ORDINIS ASSESSOR ET H. T. CONSTI  
TVTVS IMPERIALI AVCTORITATE  
COMES PALATINVUS  
PHILOSOPHIAE ET LAUREAE POETICAЕ  
CANDIDATOS  
AD  
SVMMOS IN PHILOSOPHIA  
ET STUDIO POESIOS HONORES  
DIE XVII OCTOBRS HVIVS ANNI  
MORE MAIORVM RITE CAPESENDOS  
HVMANISSIME INVITAT  
ATQVE DE  
TRIBVS APVD SINENSES LITERATORVM GRADIBVS  
NONNVLLA EDISSESTIT

